Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancta Margarita

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

hes episcopus. Et ille: Summo domine. Et ille: Ora pro me ad dominum quia vere apostolus Christi est. Recedens autem tertia die iterum ad eius cellam rediit. Sed cum ad hostium pulsasset et nullus sibi aperuisset, fenestram aperuit et mortuum eum vidit. Currensque cum hoc episcopo nuntiasset, episcopus et clerus omnesque monachi convenerunt, ut tam sancto viro exequias celebrarent. Cumque de cella corpus extraxissent, repererunt quod mulier esset. Et hoc primum admirantes deo gratias reddiderunt et sanctorum corpus honorifice sepelierunt. Obiit autem VIII die intrante octobre circa annos domini CCXX.

De sancta Margarita

Margarita dicta Pelagia virgo pulcherrima, dives et nobilis, tanta fuit parentum sollicitudine custodita et optimis moribus instituta, tantaque pudicitiae honestate vigebat, quod ab hominibus videri omnibus modis renuebat. Denique a quodam adolescente nobili in coniugium quaeritur et utriusque parentum assensu cuncta nuptiis necessaria cum immensa divitiarum et deliciarum gloria praeparantur. Cum ergo nuptiarum dies advenisset et iuvenes et puellae et cuncta simul nobilitas circa thalamum iam paratum nuptiarum festa cum gaudio celebraret, virgo deo inspirante considerans dampnum virginitatis iam dampnosis plausibus comparari, prostrata in terra cum lacrimis gloriam virginitatis et nuptiarum molestias tanta in corde suo comparatione librabat, quod omnia huius vitae gaudia quasi stercora respuebat. Unde nocte illa a viri consortio abstinens media nocte deo se commendans tonsis crinibus in virili habitu clam aufugit. Longe autem ad quoddam monasterium veniens et fratrem Pelagium se appellans ab abbate receptus est et diligenter instructus. Qui tam sancte ac religiose se habuit, quod defuncto sanctimonialium provisore de seniorum consilio et abbatis imperio licet invitus monasterio virginum est praelatus. Unde cum ergo non solum corporis necessaria sed et animarum pabula continue et incessabiliter ministraret, diabolus ei invidens studuit qualiter prosperum eius cursum obiectu criminis impediret. Fecit ergo ut una virginum quae pro foribus erat in adulterium est prolapsa, et tumescente utero cum iam celari non posset, tantus pudor et dolor omnes virgines et monachos utriusque monasterii consternavit, quod solus Pelagius utpote eorum familiaris atque praepositus sine iudicio et examine ab omnibus condempnatur. Qui foras ab omnibus cum ignominia pellitur ac in quodam rupis specu reclusus est, sibique monachorum saevissimus deputatur, qui sibi pane ordeaceo et aqua tenuissime ministraret. Quibus gestis monachi recesserunt et solum ibi Pelagium reliquerunt. At ille omnia patienter sustinens in nullo turbatus fuit, sed gratias semper deo referens per sanctorum exempla se continue confortabat. Tandem cum finem suum adesse cognovisset, abbati et monachis per litteras sic mandavit: Nobili orta genere, Margarita in seculo dicta fui, quae ut pelagus temptationum transirem, Pelagium me nomine imposui. Virum me non propter deceptionem mentita, quod fecisse ostendi. De crimine virtutem obtinui, paenitentiam innocens egi. Iam quam soli ut viri feminam celaverunt, concedite sorores sepeliant, et sit expiatio viventis ostensio morientis, ut feminae virginem

tero glorietur quod calumpniatores ad ultimum iudicabuntur. Hiis auditis monachis et sanctimonialibus ad speluncam currentibus a feminis femina et virgo intacta Pelagius cognoscitur, et cunctis penitentiam agentibus in monasterio virginum honorifice sepelitur.

De Thays

Thays meretrix ut in vitis patrum legitur tante pulchritudinis extitit ut multi pro ea venditis substantiis suis ad ultimam paupertatem devenirent. Sed et amatores sui pro zelo litibus inter se exortis frequenter puelle limina sanguine iuvenum replebant. Quod cum audisset abbas Pafnucius, sumpto habitu seculari et uno solido profectus est ad eam in quandam Egypti civitatem. Deditque ei solidum quasi pro mercede peccandi. Illa accepto pretio ait illi: Ingrediamur in cameram. Cumque ingressus esset et lectum preciosis vestibus stratum ascendere invitaretur, dicit ad eam: Si est interius cubiculum, ipsum intremus. Et cum duxisset eum ad plura loca, ille semper dicebat quod videri timebat. Illa autem dixit: Est quoddam cubiculum ubi nullus ingreditur. Si vero Deum times, nullus est locus qui divinitati eius abscondatur. Quod cum senex audisset, dixit ei: Et scis esse Deum? Cumque illa respondisset: Scio esse Deum et regnum futuri seculi nec non et tormenta peccatorum, dixit ei: Si ergo nosti, cur tantas animas perdidisti? Et non solum pro tua sed pro illarum ratione reddita iure dampnabis. Illa vero hec audiens provoluta ad pedes abbatis Pafnucii cum lacrimis exorabat dicens: Scio esse penitentiam pater et confido remissionem me te orante sortiri. Tantum peto tribus horis inducias, et post hoc quo volueris ibo et quecumque preceperis faciam. Cumque locum illi abbas constituisset, ubi veniret deberet, illa collectis omnibus quecumque ex peccato lucrata fuerat per plateas in medio civitatis populo spectante igne combussit clamans: Venite omnes qui peccastis mecum et videte qualiter ea que mihi contulistis exuram. Erant autem pretii auri librarum quadringentarum. Que cum omnia incendisset, ad locum quem abbas Pafnucius constituerat perrexit. Quam ille recepto in virginum monasterio in cellulam parvulam reclusit. Hostium celle plumbo signavit et parvam reliquit fenestram per quam ei victus modicus inferretur. Iussitque ei omnibus diebus parum panis et paululum aque a ceteris ministrari. Cum autem senex discederet, Thays ad eum ait: Quo iubes pater ut [illegible] mihi meatu aque mee effundam? Et ille: In cella sicut digna es. Cumque eum quomodo deberet adorare inquireret, respondit: Non es digna nominare Deum nec in labiis tuis nomen trinitatis adducas, sed nec ad celum manum extendas, quoniam labia tua iniquitate plena sunt et manus tue sordibus inquinate, sed tantum in orientem conversa respice, hunc sermonem frequenter iterans: Qui plasmasti me, miserere mei. Cum ergo tribus annis fuisset inclusa, condoluit abbas Pafnucius et profectus est ad abbatem Antonium ut ab eo requireret si remisisset illi Deus peccata sua. Et narrata causa sanctus Antonius convocatis discipulis suis precepit eis ut illa nocte vigilantes in oratione persisterent singillatim, quatenus alicui eorum Deus declararet causam pro qua abbas Pafnucius venerat. Cum ergo incessanter orassent, Paulus maior discipulus Antonii vidit subito in celo lectum preciosis vestibus ornatum, quem tres virgines clara facie custodiebant. Tres ille virgines